ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Hugeni,

literas tuas, illas plenas genij & eruditionis, quibus Epigramma meum Illustrissimo Dno de Bona transmissum scribis, jam nuper accepi. Pro tuis epigrammatibus acutis doctisq. alias, per Dei gratiam, paria reponam. Jam ut faciam, non patitur adversa valetudo, quae pristinum mihi vigorem, animumq. non parum labefactavit. Ante dies aliquot scripsit mihi Nobiliss. Mylius, non defuturum mihi Principis Illustriss. favorem benevolentiamq. in obtinendo, ut vocant, vicariatu, aut simili beneficio, cujus donatio est penes Principem. Itaq. monebat, uti aurem tibi vellerem, rogaremq. A. T. uti oblatis occasionibus rerum mearum rationem habeat. Quare hac cura, Nobilissime Hugeni, ut curae tibi sit etiam atq. etiam rogo. Ego hoc in reliquis tuis erga me meritis beneficijsq. reponam. Vale vir nobiliss. et praestantissime, ac scriptionem brevem languidamq. morbo imputa, qui ut attentius quid mediter non sinit. Amstelod. xiv Mart. CIↃIↃCXXXII.

N. T. cultor
studiosissimus
Caspar Barlaeus.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 53
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/666

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 53
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/666

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 53
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/666

Aen mijn heere
mijn heere Constantinus Huygens
Ridder, heere van Zuylichem,
Secretaris van sijn Ex. Ordin
woonende in de houtstraet

port Hage

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 53
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/666